DE

CEREBELLI TUMORIBUS.

DISSERTATIO
INAUGURALIS MEDICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

GRATIOSI

MEDICORUM ORDINIS

IN

ALMA LITERARUM UNIVERSITATE

GRYPHISWALDENSI

UT SUMMI

IN MEDICINA, CHIRURGIA, ARTE OBSTETRICIA

HONORES SIBI CONCEDANTUR

DIE IX. MENSIS JUNII ANNI MDCCCLXVI

PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

LAZARUS WOZNITZKA,

SILESIUS.

OPPONENTIBUS:

J. STAECKER, DR. MED.
A. SCHWANTZER, DR. MED.
O. JOETZE, CAND. MED.

GRYPHIAE.

TYPIS FRIDERICI HACHE.

PARENTIBUS

OPTIMIS, DILECTISSIMIS

SUMMOPERE VENERANDIS

HASCE

STUDIORUM PRIMITIAS

PIO GRATOQUE ANIMO

D. D. D.

AUCTOR.

Quidquid his proximis decenniis de tumoribus encephali omnino scriptum est et quotquot singuli casus utiles hujus morbi publicati sunt, tamen, quum cognoscere velimus hos tumores, in quibusdam tenebris nos versari profitendum est. Etsi non dissimulamus, progressus celerrimos physiologiae nostri temporis mirum quantum profuisse ad discernendos ac cognoscendos encephali morbos, etsi confitendum exitus novissimarum physiologiae quaestionum adjuvisse, ut quidam difficiles ac contorti casus encephali morborum imprimis tumores cognosci possent, tamen non infitiandum id quod Fontana centum sexaginta abhinc annis de cerebro dixit: „obscura textura, obscuriores morbi, obscurissimae functiones“ etiam nunc praesertim in tumoribus encephali, licet non prorsus Fontanae assentiamur, tamen magna ex parte probandum esse. Esse enim adhuc tumores encephali Niemeyer dicit, qui per totam vitam in occulto permaneant, alios de quibus probabiliter conjectetur, alios qui haud dubie cognoscantur, quin etiam nonnullos, quorum sedes et magnitudo et natura certe describi possit. Itemque Bamberger adhuc encephali tumores, paucis exceptis, plerumque magis conjectari, quam dignosci et sedem plerumque describi non posse aperte profitetur. Hoc ipso novissimo tempore (Symptomat. et Diagn. tumorum encephali Dr. P. Ladame) Ladame tractans tu-

mores encephali, vix alium esse morbum dicit, qui tot symptomatum varietates praebeat, quot encephali tumores. Alium casum alias prae se ferre proprietates. Hunc casum unum tantum praebere symptoma, exemplo ut utar, capitis dolorem, illum paene quotidie novas ostendere perturbationes. Has difficultates, quae in cognoscendo exsistant, clariores fieri, quum videamus multas esse res, quae morbi imaginem aut commutent aut totaliter deforment aut symptomata vel symptomata principalia complurium diversorum morborum ita simulent, ut etiam clarissimus vir in tenebris versetur. Imprimis has esse causas, naturam tumoris, genus, propagationem, incrementum, magnitudinem, sedem, adhaesiones, si quae cum proximis encephali partibus exsistant, impressionem, qua tumor aut partes encephali inferiores aut nervos aut sanguinis vasa praecipue majoris luminis afficiat, turbationes circulationis in proxima regione, spatium cranii deminutum etc. Quae res praesertim singulae, etsi quam accuratissime considerantur, experientem medicum in errorem inducere possunt; nam, ut pauca commemorem, non solum anatomice visibiles radices encephali nervorum comprimi possunt, sed etiam fibrillae primitivae, quas plerumque persequi non possumus, ac tumor ejusdem magnitudinis, ejusdem sedis, ejusdem generis tamen in singulis hominibus diversa symptomata prae se ferre possunt, in quod adhuc omnino tenebris tectum est. Quibus de causis semper tamquam triumphus diagnosticus haberi potest, si evenit, ut non solum cerebri tumor ipse, sed etiam ejus sedes et natura jam in aegrotante certissime cognoscatur.

Publicaturus sum tumorem cerebelli, qui aegrota viva ab ill. prof. Mosler cognitus est quantum et ad descriptionem sedis et ad naturam pertinet.

Cujus ad cognitionem et descriptionem sedis simul ill. prof. Budge physiologica experimenta de cerebello valde profuerunt. Symptomatologiam tumorum cerebelli negligens statim accedo ad physiologiam hujus partis, tum morbi historiam et exitus pathologico - anatomicae quaestionis sequetur, denique paucis hunc ipsum morbi casum explicabo ac diagnosin argumentis confirmabo.

Physiologia.

Nostro tempore experimenta Flourentis et Hertwigii in animalibus facta docuerunt, gradatim desectis cerebelli partibus propriam musculorum motionis debilitatem et inconstantiam exsistere. Animalia facultas saliendi et standi defecit, quamquam non torpebant; voluntas, sensus, mens sana permanserunt, sed vis ac facultas motus musculorum ad usum accomodate conjungendi periit. Convulsiones plerumque non videbantur.

Budge vir ill. de functionibus cerebelli praecisse haec: Ut suis ponderibus libretur, corpus perturbationes unius lateris motu excitatas sentire ac deinde motus facere necesse videtur, qui hanc perturbationem tollant. Idem organon, in quo sit sedes voluntatis, cerebrum simul his praeesse functionibus cogitare possumus. Experimenta, quae Flourens in avibus fecit, huic hypothesi contraria videntur et fortasse adjuvare hanc opinionem, exsistere proprium encephali organon ad contemplandas continuo fere effectas voluntatis actione perturbationes elimi-

nandasque usui accommodato motu, idque esse cerebellum.

Superioribus columbarum cerebelli stratis desectis paullulum debilitatis atque inconstantiae motionum exsistere videtur, mediis universalis turbidus motus sed nullum spasmi signum. Columba vehementes atque incompositos quidem motus facit, sed videt et audit. Praeterea etiam inferioribus stratis desectis animal et volandi et eundi et standi facultas deficit. Supinum sese erigere non potest, quamquam summa contendit vi. Inquietum continuo volitat, sed nunquam usui accommodato modo se movet.

Videt (Budge) plagam sibi illatam eamque vitare vult; sexcentis laboribus effugere contendit, attamen non vitat. Tamquam ebrium videtur et alis et in cauda nititur. (Flourens). Maximi est momenti, quod Budge vir Ill. tractans functiones cerebelli enunciat, corpus, ut suis ponderibus libretur, unius lateris motu excitatas perturbationes sentire ac deinde motus facere, qui has turbationes tollant, necesse esse. Commutationes cerebelli, quod morbi historia mox demonstrabitur, sensum musculatorium plus minus opprimunt, dum aliae sensibiles vires, quae sunt sensus et loci et temperaturae et compressionis discernendi, quibus aliae encephali partes praesunt, (cerebri hemisphaeria et pons) sanae permanent. Itemque novissimae de cerebello quaestiones Ill. viri Hosoship Dickinson (Brit. aud. foreigns med-chir-Revlew. Gaz. des Hôp No. 21 MDCCCLXVI) quae partim in inferioribus animalibus, partim diversis observationibus in hominibus fiebant, similes habuerunt exitus.

1. Medullae oblongatae effectus in musculos is est, quo majores vires arbitrarii motus in quattuor extremitatibus ostendantur, quae in posterioribus magis cadit in oculos quam in anterioribus. Hae motus vires praecipue ad congruentes motus et saltus pertinent, qui corpus in altum levant, habetque semper aliquid continui atque automatici.

2. Desectio cerebelli in musculos atque extremitates eo graviore est effectu, quo majus animal est; haec actio in deminuta voluntate et aequilibritate est quaerenda. Commutatio clarius apparet in posterioribus extremitatibus quam in anterioribus, praeterea universa laborandi facultas deminuta est. Altero tantum hemisphaerio cerebelli exstincto commutationes nihilominus emergunt in utraque parte, quamquam minus in latere exstincti hemisphaerii.

3. Si cerebellum eripitur neque cutis et sensoriorum nervorum sensibilitas detrahitur neque fortuiti et reflectorii motus.

4. In homine cerebelli amissiones et morbos alios effectus constanter sequi non videtur, nisi arbitrarii motus debilitatio.

Laesiones hujus organi aut imperfecta explicatio semper hunc praebent effectum in extremitatibus, praecipue inferioribus.

Destructio unius lobi in primis, in membris contrarii lateris magna est vi. Quod ad sensuum intelligentiaeque functiones et cerebri nervis instructorum musculorum contractilitatem attinet, affectionibus cerebelli non commutantur. Ex hoc, quod adhuc diximus, perspicue

sequi videtur, hac encephali parte musculorum striatorum in trunco atque extremitatibus motoriam facultatem, praecipue in inferioribus, regi, cerebro vero partes fere tantum nervis cerebralibus instructas partimque superiores extremitates gubernari. Musculi igitur et trunci et membrorum duplici vi coërcentur.

Physiologicis sententiis, quae ex inumerabilibus experimentis Ill. prof. Budge exortae sint, haec quoque morbi historia respondet:

Historia morbi.

Carolina Grahl puella viginti annorum Rugiana in urbe, Gartz quae vocatur, nata XVII. Oct. propter encephali morbum in nosocomium Gryphiswaldense recepta est. Anamnesis universa neque hereditariam neque acquisitam dispositionem morbi alicujus specialis demonstrat. Aegrota morbum exitu anni praeteriti paulatim exstitisse atque postea in dies progressum esse dicit. Illo tempore capitis doloribus fere assiduis atque extremitatum spasmis laboravit, unde interdum convulsiones universales fiebant. Convulsiones autem procedente morbo conspecti sunt omnibus sensibus ereptis ita, ut aegrota humi procumberet.

Morbus in dies progrediens eam commovit, ut nosocomium adiret Valida et robusta puella est flavis crinibus iride coerulea, pupillis plerumque valde dilatatis, quae paululum tantum luce commutantur.

Praeterea haesitat lingua, interdum ita, ut intelligi non possit, quid dicere velit; priusquam his spasmis at-

que convulsionibus laboraverit, sese plane clareque locutam esse contendit. Distractio faciei partis dextrae aut sinistrae itemque sensibilitatis perturbationes non animadvertuntur; extremitates non praebent motilitatis alterationes; aegrota medici explorantis manum praebitam fortiter comprimere et jacens et brachia et crura perfecte ad arbitrium flectere atque extendere potest.

Sin progreditur aut stare conatur, titubans perspicitur; si oculi manibus conteguntur, in periculo prolabendi est; tum quoque brachia usque se movent. Sensum autem locorum corporis, compressionis et temperaturae discernendorum accuratius explorantes nobis persuademus, eum plane esse salvum. Impetus epilepsiformis, quem sequente die spectavimus, tamquam symptoma prodromum capitis dolores vehementes demonstravit; aegrota de pulsatione occipitis conquesta est, partem occipitalem manibus prehendit, vehementer hunc locum perfricuit, tum cahinnavit et deinde universales convulsiones quartae partis horae coeperunt.

Insequentibus diebus balnea cum infusionibus tepidis adhibita sunt, quae effecerunt, ut convulsiones, quae semel bisve per diem apparere solebant, rarius existerent, pupillae paullo celerius se contraherent, aegrotae lingua multo minus haesitaret; attamen ad tempus de capitis dolore atque de continuo nutante ingressu motibusque brachiorum incertis conquesta est.

Balnea continuata, derivatio in cervice adhibita, praeterea Kalium jodatum dispensatum. Morbus per totum fere mensem Novembrem in melius inclinavit. Initio Decembris in pejus mutatus est; praesertim mane vehe-

mentes occipitis dolores, plane incertus ingressus apparuerunt, quam ob rem aegra semper fere lecto affixa est. Convulsiones epilepsiformes quater vel sexies per diem observatae. Hirudines regioni temporali appositae effecerunt, ut aegrotae dolores per breve tempus levarentur. Duobus post diebus morbus rursus in pejus mutatus, convulsiones cum vehementissimis capitis congestionibus neque minus continua occipitis pulsatio magnaque pupillarum dilatatio apparuerunt febris non adfuit.

Aegrota constanter in lecto plerumque somnolenta jacuit. Vehementi convulsionum impetu (XVIII Dec. MDCCCLXV) mortua est.

Sectionis narratio.

Generalia. Corpus satis nutritum, nihil a natura alienum, nisi angulus oris paullulum dextrorsum distortus, pars sinistra faciei turgens ac languida, plica nosolabialis naribus magis appropinquata videtur.

De cavo thoracis nihil eximii dicendum, praeterquam quod nonnullae adhaesiones facile solubiles in utraque parte inveniebantur. Sinistri pulmonis apex, qui persectus locum compressum magnitudine ovi gallinae ac nonnullos magnitudine pisi nodos partim caseata partim floris lactis (rahmig) substantia completos ostendit, aëre vacat. Inter quos nodos singuli fuerunt noduli, quorum color inter flavum et caesium erat. Pulmonis dextri apex aeque erat compressus, in lobo inferiore utriusque pulmonis hypostasis erat.

Cavum abdominis nihil, quod oculos in se converteret, nisi fundum uteri in sinistram, tuba atque ovario contra naturam ad peritoneum cavi pelvis minoris adhaerentibus, totaliter conversum ostendit.

Uterus paullulum retroflexus.

Encephalon. In inferiore sinus longi parte non multum nigri et dilati tenuisque sanguinis inest; dura mater facile de calvaria detrahi potest, vasa vero piae matris evidenter tenuiora sunt. Gyri plane declives, sulci explanati, parva sanguinis vasa satis fere, majora paullo magis completa, utraque compressa, de anteriore calvae fossa nihil commemorandum. In fossa media tuber cinereum in vesicae modum prorumpit, quod paullisper contactum statim discinditur et flavum serosumque liquorem effundit. In fovea calvae posteriore effusum non invenitur. Adhaesiones cerebelli ad duram matrem non perspiciuntur, e ventriculis lateralibus, qui ambo dilatati sunt, multum puri ac perspicui liquoris effluit. Ependyma crassius non est. Plexus compressi et exsangues sunt. Foramen Monroi valde dilatatum, psalterium et fornix tanquam tenues laminae compressa sunt, tela chorioidea compressione valde attenuata. Thalami optici declives. Ventriculus tertius contra naturam dilatatus, itemque septa pellucida, corpora quadrigemina compressa, cerebellum maxime amplum fluctuat, vasa mollium membranarum satis sanguine completa, membranae ipsae eximietenues, ceterum naturales. Gyri aeque ac vasa sanguinis paullisper explanati. Quam proxime lineae medianae insecantes pervenimus in quartum ventriculum valde propagatum, cujus ependyma quam maxime molle turget, vasa nimis sanguine impleta,

sunt attamen lumine naturali. Ventriculus omni ex parte aequabiliter dilatatus, aquaeductus Sylvii latior quam esse solet. Insecantes in haemisphaerium sinistrum cerebelli, fere dimidium transversi digiti a linea mediana discedentes pervenimus in cavum majus ovo gallinae, quod cavum pellucido et flavo vino simili liquore trium vel quatuor unciarum refertum est. Cavum quod paullisper fusce nitet, satis dura et lubrica membrana inductum est et membrana in incisurae loco appropinquante ad substantiam cineream loco suo demovet substantiam albam hemisphaerii sinistri cerebelli.

Alba substantia ita mollis est, ut ab ea cavi membrana facile detrahi possit. In parte exteriore fundi hujus cavernae tumor, media parte unum digitum et lineas latus e fundo exoriens atque in idem cavum projectum invenitur.

Tumor pellucido et flavo - cinereo et griseo - albo est colore sicuti communis substantia gelata. In superficie hujus tumoris et in interiore ejus parte majora et minora vasa sanguinis sese ramificant, quae partim a membrana cavum inducente, id quod clare perspici potest, partim a substantia cerebelli in tumorem porriguntur. Substantia alba adhuc servata mirum in modum mollis, tenui pulticulae similis est, substantia grisea itemque madefacta, sed colore a natura non alieno.

Substantia grisea et alba dextri cerebelli hemisphaerii incisa praeter consuetudinem madefacta videtur, vasis sanguine mediocriter injectis. In incisura substantiae albae hemisphaerii cerebri vasa mediocriter sanguine impleta dilatata videntur.

Planum incisurae madidum et nitidum, soliditas multo minor est contra naturam, substantia grisea pellucidum fere et pallido-cinereo-rubrum praebet colorem; stratum piae matri proximum plane griseum videtur; sulci molles et incisi explanati sunt. Diametrus substantiae griseae ubique permagna, praecipue in profundo sulcorum magnitudine unius lineae vel unius et quartae partis est. Corpora striata in incisura per medium facta madida videntur, substantia grisea paullo est mollior quam natura fert, ceterum, qualis semper esse solet, thalami optici contra consuetudinem molles atque in loco compresso paullo pallidiores sunt. Membranae molles in fundo praecipue in regione tuberis cinerei et pontis et fossae Sylvii valde tenues, quapropter facile perrumpi possunt, attamen aliter commutatae non perspiciuntur.

Itemque cerebelli ac medullae oblongatae membranae sunt molles, quarum sanguinis vasa et in cerebro et in cerebello mediocriter erant impleta, paullo magis pontis. Vasa ipsa et latiora et compressa sunt. Arteria vertebralis et in primis basilaris ramique ex ea exorientes minimo sunt lumine et parietibus tenuissimis. Venae ubique bonam praebent speciem, tractus olfactorii in utraque parte componunt lata ligamenta, bulbi valde adulti colore sunt sordido-cinereo-flavo, nervorum opticorum fasciculi vero in transversum persecti paullo magis humidi videntur, nervi oculomotorii atque abducentes satis magna sunt diametro, trochleares valde tenues, fibrillae trigeminorum facillime possunt separari, facialis dexter paullo crassior quam sinister, fibrillae utriusque accessorii atque hypoglossi valde sunt tenues, omnes nervorum radices, ut pau-

cis dicam, e medulla oblongata exorientes in dextra parte tenuiores sunt quam in sinistra. Pons non declivis, planum sinistrum medullae oblongatae evidenter declive. Et alba et cinerea substantia pontis in transversum persecta valde pallida et mollis, medulla oblongata quum madefacta tum mollis, dura mater baseos cranii tenuissima praecipue per totum os sphenoidale, sinus ubique paullum sanguinis liquidi continent, clivus Blumenbachii in parte superiore dura matre detracta satis impressus, pars dextra dorsi sellae turcicae hac ipsa de causa evanuit, aequo modo processus dexter clinoideus posterior; sinistri tenue tantum ossis foliolum superest, processus clinoidei anteriores vix indicati.

Hypophysi demota fundum osseum in anteriore sellae turcicae margine deficientem atque hypohysin membranae mucosae sinus sphenoidalis proximam videmus. Impressiones digitatae in anteriore fossa cerebrali satis profundae, qua de causa juga cerebralia paullulum altiora quam natura fert.

Epicrisis.

Videamus nunc I. quibus symptomatibus atque argumentis physiologicis diagnosis corfirmari possit, II. quantopere exitus quaestionis pathologico-anatomicae symptomatibus, quae in vita aegrotae apparuerint, respondeat.

Tumor cerebelli modo descriptus, paucis ut dicam, quae plus minusve sunt propria, symptomata haec praebet:

Aegrotatio, quod supra demonstravi, anno fere coepit antequam in nosocomium puella recepta est (rec. XVII.

Oct. 1865. mort. XVIII. Dec. 65.) atque jam illo tempore occipitis doloribus spasmisque extremitatum, qui interdum ad convulsiones universales progressi sunt, se prodidit, Convulsiones ipsae aliquanto post omnibus sensibus ereptis exstiterunt. In nosocomio semper fere haesitavit lingua saepe ita, ut, quid dicere vellet, intelligi non posset. De morbo interrogata, priusquam aegrotatio, praesertim vero convulsiones eandem concomitantes coeperint, sese accurate clareque locutam esse narrat.

Aegrota saepe convulsionibus epilepsiformibus, quibus antecedunt occipitis dolores invaditur.

In impetu occipitis dolores tam vehementes sunt, ut aegrota occiput prehendere cogatur. Cum his vehementissimis occipitis doloribus, quod supra diximus, convulsiones quartae fere partis horae se conjungere solent.

Inspectio accurata nec facialem dextrae aut sinistrae faciei partis aegrotare neque motilitatis perturbationes extremitatibus adesse demonstrat. Aegrota, ut iisdem repetam verbis, manum medici explorantis praebitam fortiter comprimere, jacens et brachia et crura perfecte ad arbitrium flectere atque extendere potest.

Manifestum vero est, sensum musculatorium, qui musculorum motus ordinet, ille plane deesse.

Sin progreditur aut stare conatur, nutans perspicitur, si oculi manibus conteguntur, in periculo prolabendi est; etiam brachia usque se movent. Ceterae functiones sensibiles, sensus locorum corporis sui, sensus compressionis, sensus temperaturae discernendae plane salvi sunt. Quae omnia quaestionibus physiologicis, quas Ill. vir Budge de hac re fecit, respondent.

Quod si singula symptomata propius inspicimus, quum capitis dolor vehementissimus sit atque inopinato exsistat, nonnulla cum verisimilitudine neoplasma in encephalo conjectari posse, sedem autem capitis doloris plus minusve ad sedem quoque tumoris ipsius adducere apparet. Friedreich enim opinatur, dolorem frontalem praecipue tumoribus baseos, occipitis dolorem cerebelli respondere.

Sed etiamsi concedamus, dolorem partis frontalis in tumoribus cerebelli esse posse, tamen ex altera parte dolor occipitis haud facile in tumoribus baseos reperitur; quae quum ita sint, hunc cerebelli tumori respondere verisimile est.

Jam aut sclerosin aut encephali abscessum causam esse putari possit; id quod plane rejiciendum est, quum et omnes motilitatis perturbationes desint neque ulla ratione intelligatur, qua ex causa abscessus enasci potuerit. Hydrocephalus, ut alia praetermittamus, jam ea de re rejiciendus est, quod neque initio neque procedente morbo animi alterationes observatae sunt. Aliud magis directum symptoma, quod nobis sedem tumoris ipsam demonstrat, in hoc casu torpor sensus musculatorii est cumque eo alterationes eundi atque standi, omnino perturbationes aequilibrii, quae omnia, praesertim quum ceterae functiones sensibiles, sensus locorum, compressionis, temperaturae distinguendorum desint, quae per se sedem tumoris in hemisphaeriis cerebri atque ponte esse prorsus negant, diagnosin sedis tumoris in cerebello tuentur atque praeterea imagini cerebelli perturbationum, ut jam in physiologica hujus libelli parte descripta est, plane respondent.

Neque loquendi perturbationes, quamquam etiam in tumoribus cerebri hemisphaeriorum atque pontis satis frequenter reperiantur, plane prohibent, praesertim quum supra commemorata gravissimaque symptomata adsint, sedem tumoris in cerebello esse. Quo modo convulsiones epilepsiformes animique defectus interpretandi sint atque omnino de morbi casu cogitandum, ill. Budge sic fere docet: „Si hunc casum morbi physiologice explicamus, praecipue organa centralia in calvae cavo sita aegrotatione affecta esse omnino ex indiciis atque symptomatibus sequi videtur. Atque in primis duo quidem ex numero eorum sunt, quorum ad affectionem perducimur, cerebellum et corpora quadrigemina. Cerebrum autem ipsum morbo affectum esse non verisimile videtur, quamquam animi defectus convulsionesque epilepsiformes talem opinionem adducere potuerint, atque ea quidem de re, quod dimidiatus torpor omnino deest itaque supra commemorata indicia tanquam reflexa esse videntur.

Incerti autem motus, haesitatio linguae, instabilis ingressus, inquieta brachia cum iis rebus, quae in animalibus atque etiam in morbis cerebelli observatae sunt, congruere videntur, (cf. Hughlings Jackson in Medical Times 1862 Aug. XXX.)

Dilatatio pupillarum aegrotationem corporum quadrigeminorum indicare videtur.

Ex symptomatibns compressionem esse causam sequi videtur; quod cum iis congruunt, quae cerebello corporibusque quadrigeminis orta sunt.

Quod autem attinet ad genus neoplasmatis, sarcoma ea de causa conjectari potuit, quod neglecta juventute

aegrotae, symptomata paullatim modo crescebant, aegrotatio ut tardior ita continua erat, quod generalis aegrotatio non observata est, quod denique sarcomata in cerebello frequentius se praebere solent.

Jam etiam quaestio pathologico - anatomica, ut et ex historia morbi et e sectionis narratione intelligere potuimus, plane observationibus in vita factis respondet. Symptomata, ut supra expositum est, in vita fuerunt ejusmodi, qualia deletis vel percussis cerebello corporibusque quadrigeminis effici soleant."

Hoc in morbo hydrocephalus plane secundarius habendus, qualem jam Hirsch nodulis tubercularis cerebelli exortis inveniri observavit. Ad quem hydrocephalum fortasse vehementes convulsionum impetus cum animi defectu conjuncti, quae quidem sunt frequentissima ac clarissima symptomata, referendi sunt.

Cogitare omnino possumus, hydrocephalum posteriore demum aegritudinis tempore exstitisse eaque de causa non tam diu quam tumorem duravisse neque ad hunc gradum esse progressum, ut animi perturbationes excitari possent.

VITA.

Natus sum Lazarus Woznitzka Bythomiae, Silesiae superioris oppido, anno h. s. XXXVIII die XV mens. Decbr., patre Josepho, matre Catharina e gente Litzkowski, quos summa pietate gratoque animo amplector. Fidem profiteor catholicam. Primis literarum elementis imbutus gymnasium adii Gliviciense, postea Wratislaviae gymnasium St. Mathiae frequentavi usque ad annum LX, cujus autumno testimonium maturitatis adeptus, per duo semestria juris, per unum medicinae studium ibidem amplexus sum. Deinde mense Octobri LXII Gryphiam petii, ubi a Rectore Magnifico Ill Vogt in civium academicorum numerum receptus ac studiosis medicinae a Decano maxime spectabili Ill. Bardeleben sum adscriptus. Ibidem per septem semestria medicinae studio operam dedi.

Disserentes audivi:

Wratislaviae.

Ill. Braniss: de logice et de psychologia.

Exp. Paul: de medicina forensi.

Ill. Barkow: de myologia, de splanchnologia, de angiologia et neurologia; de arte cadavera rite dissecandi.

Ill. Grosser: de osteologia et syndesmologia.

Ill. Loewig: de chemia anorganica.

Gryphiae:

Ill. Huenefeldt: de mineralogia.

Ill. Limpricht: de chemia organica, de chemia physiologica.

Ill. de Feilitsch: de physice experimentali.

Ill. Münter: de zoologia.

Exp. Jessen: de botanice.

Exp. Landois: de embryologia.

Ill. Budge: de osteologia, syndesmologia, splanchnologia, myologia, de anatomia organorum sensuum, de physiologia, de arte cadavera dissecandi.

Ill. Schultze: de angiologia et neurologia, de anatomia comparata.

Exp. Hertz: dux mihi fuit in exercitationibus de hystologia normali.

Exp. Schirmer: de ophthalmiatrice, de ophthalmoscopia.

Exp. Heineke: de cutis morbis et de syphilide; de fracturis et de luxationibus.

Exp. Haeckermann: de politia medica.

Ill. Laurer: de materia medica.

Ill. Grohe: de anatomia pathologica; idem mihi dux fuit in exercitationibus de anatomia et histologia pathologica.

Ill. Rühle: de auscultatione et percussione, de pathologia et therapia speciali.

Ill. Pernice: de morbis mulierum, de arte obstetricia; idem mihi dux fuit in clinico obstetricio.

Ill. Mosler: de psychiatria; idem mihi dux fuit in clinico medico et psychiatrico.

Ill. Bardeleben: de chirurgia generali et speciali, de akiurgia, de herniis, de morbis chirurgicis thoracis; idem mihi dux fuit in operationibus chirurgicis in cadaveribus instituendis atque in clinico chirurgico et ophthalmiatrico.

Quibus viris omnibus optime de me meritis gratias ago quam maximas atque semper gratum animum conservabo.

THESES.

I.

Post herniotomiam vel post taxin herniae incarceratae opium est adhibendum.

II.

Quam vulgo pyaemiam nominamus, non semper originem ducit e loco vulnerato.

III.

Tumores cerebelli sensus muscularis torporem efficiunt.